



Iohannes Capnion, qui & Reuchlinus dicitur, Pfortzeimij in oppido Marchionatus Badensis natus atq; educatus fuit. Hic optima indole & foelicissimo ingenio praeditus, adolescens adhuc varias Academias accessit, atq; magna diligentia literis incubuit. Cum autem ipse uideret philosophiam atq; bonas artes monachorum & sophistarum rixis & contentionibus mirum in modum conspurcatus, ipse (fundamenta disciplinarum considerans) magno ardore Hebraicae, Graecae, & Latinae linguae operam dedit, atq; adeo in ijs profecit, ut neminem per terrarum orbem suo tempore in ijs haberet similem. Tantus enim linguarum cognitione euasit,

ut non modo translata ab alijs conferre, uerum etiam elegantiori sermone optimos autores Graecos latinitate donare posset. Itaq; quaedam opuscula Xenophontis, Procli, Luciani, Homeri, Platonis, Epiphaniij, & aliorum transtulit, atq; studiosis communicauit. Inde in Galliam profectus eandem linguam feliciter hausit, & cum Germanica sibi familiarem reddidit. Postea etiam Hebraeorum scripta euoluens, eius linguae mysteria proposuit, atq; ludaeorum secreta magno ingenio publicauit. Hisce linguarum studijs etiam Iurisprudentiae cognitionem adiecit, adeoq; in ea facultate profecit, ut breui tempore legum Imperialium Doctor creatus fuerit. Cum itaq; talis esset, illustris comes Eberhardus (qui primus dux Wuirtembergensis ob plurimas corporis & animi dotes creatus fuit) eum a consilijs elegit, atq; eius industria grauissimas conrouersias optimè composuit, anno 1496.